

rum calamitates miseratus nunquam antea eo malorum deven-
tum fuisse differebat : Jam præpotentes Regum exercitus , qui-
bus ea ætas majores non vidisset , exiguo spatio secerni , ut
brevis , ni Deus Optimus Maximus hoc a cervicibus christia-
næ reipublicæ malum averteret , acie decertaturi essent ; neque
adhuc quemquam inveniri , qui de pace sermones injiceret :
assiduis bellis defessos (uti a Reipublicæ legatis intelligeretur)
Principum ad concordiam proclinos animos esse . Verum fa-
ctu , atque animorum magnitudine eam propensionem tegi ;
qui prior de concordia verba fecisset , eum sibi detractum ali-
quid de gloria , ac dignitate arbitrari ; ita importuno , atque
exitiali silentio res ad extremum prope casum prolapsas . Cur
igitur quæ sæpius pro pace excubasset Respublica , difficillimo
hoc tempore in id sedulo , atque ex animo non incumberet ?
An rem tantam , tam gravem per literas , atque ordinarios le-
gatos confici posse ? Certos ad id mittendos cives esse , qui
suadendo , hortando ad concordiam Reges impellere nitantur .
An eorum oblitos esse , quæ superioribus annis , ad Nicæam
missis legatis , effecissent , quorum opera Carolus , ac Franci-
scus in decennium inducias pepigere ? An illorum , quæ nuper
inter Paulum Pontificem Maximum ac Philippum Regem bel-
lo , Phœbo Capella , ac Marco Antonio Francisco a secretis
ad Albanum Ducem in castra proficisci jussis , egissent , unde
immortali cum Senatus Veneti laude pax Italiæ effulsisset ?
Eam vero laudem ingenti utilitate cumulatuos : nam uter Re-
gum victor evasisset , ambigendum esse , ne , ut Principum in-
genia gloriæ , atque imperii avida sunt , fortunæ felicitate sub-
rinxus , adjecta potentiæ accessione , ad aliorum perniciem abu-
teretur . Henricum non modo Galliæ amplissimo , ac fortissimo
regno imperare , verum , Scotiæ Regina in nulum adscita ,
Scotorum regnum obtinere ; Suleimanum , potentissimum Turca-
rum Regem , socium , ac fœderatum habere . An non , devicto
hoste , ad Belgium occupandum sibi gradum facturum ? An
non vetere Insubribus , ac Neapolitano regno potiundi deside-
rio incitatum in Italiam venturum ? Philippum Hispanias ,
Belgium , Insubres , Neapolitanum regnum obtinere ; Cosmum
Florentiæ Ducem veteri , ac recenti beneficio devinctum ; Ur-
binatem nuper suæ militiæ adscriptum ; Octavium Farnesium